ALMÆ ACADEMIÆ HASSO-GIESSENÆ RECTOR,

TOTVSQVE SENATVS ACADEMICVS

OMNIBVS ET SINGVLIS LITERARVM STVDIOSIS,

S. P. P.

Athenienſes olim ex Apollinis tripode Oraculum monitiſſe legitur, tum demum ſartam tectamq; Rempubl. ſervaturos, ſi avulſorum ab ubere materno filiorum auribus, quod pretioſiſſimum eſſet, appendiſſent. Interpretabantur illi Græcâ barbarie pueriſonum id miſere ejulantium aures, quas auro gemmisq; ad muliebrem uſq; mollitiem & luxum gravabant, rati aureô illo filiorum ornatu ſalutem Reip. ſtare. Sed ô cæcum Barbarorum judicium! Non illa fortunæ ludibria filiorum auribus appendenda, non in illis Rerump. præſidia, & inconcuſſa incolumitas quærenda, quæ tot caſibus obnoxia, tot fortunæ telis, tot hominum injuriis expoſita ſunt. Dignius longè & pretioſius Rerump. præſidium à Sapientia & Literarum ſcientia petendum: Hæc è maternis amplexibus, è parentum blanditiis evulſorum liberorum auribus inſerenda: nihil hinc injuria, nihil vis, nihil rapina aut furtum decerpere poteſt; nullis hæc incendiis, nullis naufragiis eripiuntur, deniq; illa ipſa, quæ rerum humanarũ Domina putatur, fortuna hic jacet, hic victa eſt, & vi ſuâ ſpoliata ſuam imbecillitatem deplorare cogitur. Talium a. gazophylacium Academiæ audiunt, Scientiarum ſeminaria literarum emporia, civilium inſtrumentorum armamentaria; hinc curiæ prudentiam hauriunt, accipiunt tribunalia juſtitiam, doctrinam Eccleſiæ, & ut paucis omnia dicamus, Reſpublicæ hinc inconcuſſam ſuam incolumitatem expectant hinc univerſo orbi ſapientiæ faces accenduntur nullâ temporum, nullâ hominum injuriâ extinguendæ. Et has, Cives Academici, divites Sapientiæ & Scientiarum merces hodie etiam oculis Veſtris denuò exponimus, pietate, virtute & diligentiâ veſtrâ comparandas, convolate frequentes ad hoc Sapientiæ & Scientiarum emporium, & quæ adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium & ſolatium præbent, dum occaſio & acquirendi commoditas datur, vobis acquirite. Valete P. P. Sub Sigillo Academiæ majori die 27. Martii. Anno cIↄ Iↄc LIX.

IN FACULTATE THEOLOGICA

***PETRUS HABERKORNIUS**, S. Th. D. & Profeſſor, Prim.* finitis per Dei Gratiã Lectionibus & Collegiis Theologicis, brumalibus, per hoc æſtatis ſpatium continuabit Lectiones ſuas contra Calvinianorum errores inſtitutas, Collegia itidem aperiet 1. Diſputatorium AntiCalviniſticum, quod qualibet hebdomade, bis habebitur, 2. Biblicum, idq; Lectorium in Epiſtolam ad Romanos, inchoatum protegando, & ad finem perducendo 3. Concionatorium, eo quo hactenus illud per elapſum hyemis intervallum, peractum fuit, modo. Diſputationes etiam publicas inſtituet, ad Syntagma quartum pertinentes, aut alias pro temporis neceſſitate.

***JOHANNES NICOLAUS MISLERUS**, S. Theol. D. Ejuſdemq; ut & Hebr. Ling. Profeſſ. Ord.* Articulos: *De Juſtificatione, Sanctorum invocatione & Sacramentis*, contra Pontificios perſpicuâ methodo ventilabit publicè. Diſputationibus interim, contra Mulmanni Jeſuitæ Speculum fidei, continuabit. Privatim aperiet Collegium Diſputatorium, in quo per ſemeſtrale ſpacium omnes articuli fidei ad diſputandum proponentur. Hebraicum itidem inſtituet, pro Auditorum placito ac profectu.

***MICHAEL SIRICIUS**, SS. Theol. D. ejuſdemq; Extraord. necnon Hiſtor. Eccl. Profeſſor. Ordinar. & Eccleſ. Gieſſenſis.* publicè & privatim in Examine Concilii Tridentini perget. Aperiet etiam Collegium in Evangeliſtam Matthæum, in quo loca cum adverſariis controverſa breviter perluſtrabit & vindicabit.

IN FACULTATE JURIDICA.

***JOHANNES OTTO TABOR**, JCtus, Conſiliarius Haſſo-Darmſtatinus, Academiæ Cancellarius ac Profeſſor Primarius.* Initium prælectionum, Deo clementer annuente, facturus eſt à revelatione methodi exquiſitæ & compendioſæ, qvâ juris communis aditus pleriſque difficilior hactenus creditus, facilis & expeditus conſtituatur: cujus adjumento non pauci (quos ſua pietas beneficiorum non ſinit eſſe immemores) ad præclara Reipub; munia ſe evectos fuiſſe, ore calamoq; profitentur. Collegiis etiam & conſiliis privatis, cupidæ Legum juventuti pro virili ſuccurret. Quod ſuperiterit temporis, expolitioni Commentariorum, quos jam pridem in varias juris partes adparavit, impenſurus.

***GREGORIUS TALSNERUS**, U. J. D. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus & Profeſſor Ordinarius*, in explicandis præcipuis & utilioribus Codicis Juſtinianei Legibus, ut & Lectionibus Juris Canonici, publicè progredietur.

***JACOBUS LE-BLEU**, V. J. D. Ejuſdemq; Profeſſor Ordin.* in Lectionibus publicis Juridicis nobiliores Pandectarum titulos explicabit, earumq; curſum, Deo volente, inter juſtum temporis ſpatium abſolvet.

***MARTINUS** Müller/ V. J. D. & Profeſſor Ordinarius*, publicè de ſucceſſione teſtati & inteſtati leget, eaq; abſolutâ ad materiam conventionum & obligationum progredietur: Collegia privata explicatoria & diſputatoria continuaturus aliaq; inſuper Exercitia Academica, ad placitum Dnn. Studioſorum additurus, nihilq; intermiſſurus, quod ad Studia illorum facere poteſt.

IN FACULTATE MEDICA.

***JOHANN-DANIEL HORSTIUS**, Phil. & Med. D. Prof. & Archiater Haſſo Darmſtadinus*, dum per negotia qvam plurima, quibus Clementiſſimi & Sereniſſimi Principis juſſu in aula detinetur, in Academia publicè profiteri nequit, operam ſuam nihilominus per conſilia Medica Collegio Medico & Studioſis Medicinæ requiſitus præſtò pollicetur.

***JOHANNES TACKIUS**. Phil. & Med. D. Medicinæ Profeſſor Ord. & Archiater Haſſo Darmſtadinus* in Lectionibus publicis perſequetur cæptam methodum docendi Medicinam ex Veteribus & Neotericis, quorum placita trutinabit, atq; quid proficuum quid utile ad praxin demõſtrabit. Privatim vero tum in laboribus Chymicis, tum aliis pro captu Studioſorum offeret promptam operam ſuam.

***GEORG BALTHASAR** Metzger/ Med. D. Anat. & Botan. Prof. Ord. h. t. Pro Rector*, ad cognitionem plantarum, potiſſimum officinaliũ, Auditores ſuos deducet, vocatis in ſubſidium, ubi ſylveſtria loca deficient, hortis ſuis hyemalibus Domi etiam Filiis Artis requiſitus nullibi deerit.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

***M. CASPAR EBELIUS**, Prof. Philoſ. Ord. publicè* Compendium ſuum Logicum explicabit, & notis, ſi neceſſitas poſtulârit, etiam in calamum dictatis, illuſtrabit. Privatim Collegium Meiſnerianum in Philoſophiam ſobriam, Theologiæ & Philoſophiæ Studioſis aperiet, & ſimul Collegium Metaphyſicum & Logicum, utrumque diſputatorium adjunget.

***M. JOH. CONRADUS DIETERICUS**, Græcæ Linguæ & Hiſtor. Profeſſor*, in Hiſtoriis Imperatorum Germanicorum perget; & in Græcis varios per libros excerpta tradet.

***JACOBUS LE BLEU**, U. J. D. Civilis Prudentiæ Prof. Ord. & Academiæ Syndicus.* In Lectionibus Politicis proponet ſelectiores quæſtiones ex Tacito, eaſque recentioribus & ad uſum maximè facientibus exemplis illuſtrabit.

***MARTINUS** Müller/ U. J. D. & Moralium Profeſſor Ordinarius*, cum hæc ab aliis nec intelligi, nec etiam tractari ab Ethicis noſtris, Studioſis tamen Juris ſcitu neceſſaria eſſe, hactenus viderit; Ubi enim deſinit Ethicus, ibi incipit JCtus: Moralia in lectionibus publicis & privatis Juridicis ſemper junget, & Collegia atque Exercitia Ethico Legalia aperiet.

***JOHANNES TACKIUS**, Phil. & Medicinæ Doctor, hujus & Eloquentiæ Profeſſor Ordinarius* Lectionibus publicis Orationes Curtianas explicare perget eâ, qua hactenus uſus eſt, methodo. Privatim vero, cùm per hyemale hoc ſpatium theoriam Eloquentiæ monſtraverit, ad praxin ejus auditores ſuos accommodabit.

***GEORG-BALTHASAR** Metzger/ D. & Phyſ. Profeſſor Ordin.* perget in prælectionibus publicis, quantum quidem per labores Pro-Rectorales licebit, ad meteororum explicationem, qvam tam ex Phyſicis, quàm ex Mathematicis principiis, ubi neceſſitas poſtulabit, proponet. Privatim pro Auditorii placito ſive Lectorium, ſive diſputatorium Collegium inſtruet.

***MICHAEL SIRICIUS**, SS. Theol. D. ejuſdemq; Extraord. nec non Hiſt. Eccl. Profeſſ. Ordin. & Eccleſiaſtes Gieſſenſis*, juxta ordinem & methodum Dn. D. Gerhardi in Patrologia ſua, Patrum, qui quinque prioribus ſeculis vixerunt, vitam, doctrinam, ſcripta percurret, exhibiturus varia autorum de ſingulis ſcriptoribus Eccleſiaſticis antiquis judicia.

***M. JOHANNES** Weiß/ Moral. Prof. Extr.* cùm ſecunda vice Ethicam publicè legendo abſolverit, hoc inſtante ſemeſtri *ſynopſin Philoſophiæ moralis C. L. Iteri* percurret, & nuper inchoatas continuabit diſputationes; Privatim verò *Collegia tum lectoria, tum Diſputatoria* ad placitum Dnn. Studioſorum aperiet.

GIESSÆ, *Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi Ordinarii.